


A iuuenum virtuti gloriabundus anteponebat. Cicero vero in Officiis, vim non aliter leoni peculiarem esse dicit, quam vulpeculae fraudem.

Verum enim vero per leonis caput Aegyptii sacerdotes vigilantiam atque custodiam ostendebant. Causam addebant, quod solum hoc ex animalibus recuruos ungues habentibus, simul atque natum est, cernitur atque hinc Plutarchus solare animal leonem haberi putat. Sane illi nomen παρα τὸ λέων τὸ ὄσπρον inditum a iuris etymologiarum indagatores. Somni praeterea parcissimi est, oculosque habet inter dormiendum splendentes, ac quodammodo patefactos, quod in custodiae signum receperit: & sane multi crediderunt leones omnino in som-

VIGILANTIA CUSTODIA Q.



Bnes esse, quod Manetho Aegyptius in iis quae scripsit ad Herodotum tradit. Huiusce rei argumentum nonnulli obseruauerunt, quod caudam assidue inter quietum motat. Caterum incredibile est, ut putat Aristoteles, animal vllum perpetua uti vigilia: sed inde persuasi sunt qui talia se obseruasse profitentur, quod leo magnos habet oculos palpebrasque per exiguas, ut non oculum possit penitus obtegere, inuentique splendor ille sese offert, qui plurimus emicat ab eius pupilla: quare semper somni expertus esse videatur. Quapropter significanter admodum, non tantum Mycenarum portis, sed etiam reliquorum aedificiorum, praecipue vero sanorum valuis, aediumque sacrarum vestibulis leones, tanquam diuinorum custodes, ut est passim cernere, statuebantur. Quique iis in somniam attribuunt, inde eos Soli dedicatos autumant, eandem cum leone conditionem habenti, quippe qui patenti igneoque oculo terram conspectu perpetuo atque infatigabili tueatur. Cum vero confet, Alexandrum Magnum praeter alia quae in homine praecleara fuerunt, vigilantissimum etiam fuisse, quod in exemplo a grue sumpto alibi diximus, non miror, etsi alia etiam huius rei causa esse possunt, eum in nummis quibusdam leonino spolio caput indutum spectari, ab cuius altera facie simulacrum Ionis est sedes, leua baculo innixus, dextera

Portis val
nisque sa
porum cur
leoninaca
pila affigat
tur.

Alexander Ma
gnus in mi
nismate.

CAquilam praetendens, litera ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, nepe quod ab Hercule per Caranum primum Macedoniae regem duceret genus: nam Hercules Nemei Leonis spolio ubique insignis, vel quod eximia magnitudinis leonem spectante Spartanorum legato strauit. Quanquam non sum nescius, Philippum regem post Olympiae nuptias per quietem sibi visum coniugis aluo insignem infixisse bullam, cuius sculptura leonis imaginem haberet: quod & uxorem gravidam esse, & animosum filium parituram, coniectores periti respondere. Hinc Alexander in matris honorem leonis spolio maxime gauisus, & eadem de causa cum somnio monitus Alexandriam in Aegypto aedificasset, eam Leontopolim appellauit: quauis eius successores Alexandriae a conditore ipso maluerint vocitari. Quod vero pertinet ad leonis somnum, Physiologos ait Adamantius haec de catulo leonis scribere, eum quippe simulacrum natus est, tribus diebus & tribus noctibus dormire, tum deinde patris rugitu tanquam tremefacto concussoque cubilis loco catulum dormientem expergeferi, eoque trahit dictum illud a Iacobo in sacra lectione: Catulus leonis Iuda ad praedam filii mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leona, quae suscitabit eum? Atque etiam illud ex secundo Balaamis responso: Recumbens ut

Leontopolis.